

quàm qui simpliciter dicit, *hoc est aurum*. Ita etiam hoc principium, *impossibile est idem simul esse & non esse*, dum negat ab ente ejus repugnantiam, longè evidentius est, quàm hoc, *omne ens est*, quod & simpliciter & purè affirmativum est.

§. 6. Ad secundam objectionem respondet *Thomas tom. 2. part. 1. quest. 94. art. 2.* Primum principium esse duplex, aliud *theoreticum*, aliud *prædicum*: hoc ergò: *Impossibile est, idem simul esse & non esse*, dicit esse primum principium theoreticum, vel in *disciplinis theoreticis*, istud: *Bonum est faciendum: malum verò omittendum*; esse primum principium practicum, seu primum in genere morum, verùm nondum sufficit hæc responsio, & putamus nos omnino principium hoc: *Impossibile est &c.* ratione evidentiae & immotæ certitudinis suæ esse simpliciter primū etiā in ordine ad practicas disciplinas, adeoq; etiam prius illò ipsò principiò primò practico, ratio est, quia practica in theoreticis fundantur, ideò, quod in theoreticis disciplinis primum principium, id meritò pro absolutè primo habetur. Quod patet ulterius: Si enim ab obstinato adversario principia quædam propria negentur, in quacunque disciplina id accidat, ad hoc principium ultimò est recurrendum, & in illo subsistendum. Quod adeò verum est, ut ipsi etiam S. S. Theologiæ hoc ipsum principium cum reliquis disciplinis philosophicis commune sit, quemadmodum evidentissimè patet ex PAULI discursu de gratia DEI & meritis operum, *Rom. XI. 5. 6.* & eruditè hoc ostendit *Stahlius disp. Reg. Phil. part. 1. Reg. 1.* Hinc quando communiter dicitur: *contra negantem principia non esse disputandum*, id potissimum intelligendum est de communissimis & evidentissimis hisce principiis, non autem de principiis cujusque disciplinæ propriis, nisi limitatè accipere illud velis hoc sensu: contra eum, qui negat principia propria, non est disputandum,

scilicet ex illis principiis, quæ in dubium vocat, vel negat: At potest nihilominus tamen disputari cum eo ex aliis principiis *communioribus*, nisi eò dementiæ abeat, ut communissima & evidentissima hæc, de quibus egimus, principia neget.

§. 7. Ad tertiam & ultimam objectionem, respondemus iterum, distinguendo inter *demonstrare ostensivè*, & *demonstrare arguitivè* seu κατ' ἀνθρώπων, vel inter ἀποδείξαι & ἐλεγκτικῶς ἀποδείξαι: non admittit hoc nostrum principium demonstrationem ostensivam, hoc ipso, quod eò nihil notius, nihil prius sit, admittit tamen demonstrationem κατ' ἀνθρώπων & redargutionem.

(ε) Ut attributi definitio rectius intelligatur, sciendum est, in re aliquâ dari duplicis generis conceptus vel prædicata: quidam enim conceptus competunt rei primò, ita ut nulla possit addi ratio à priori, cur rei insit, e. gr. animal rationale esse, est primus conceptus hominis, quia homini competit ita, ut non possit ratio à priori dari, cur ei conveniat. Talis conceptus dicitur rei essentia, vel saltem ad essentiam spectat. Deinde dantur conceptus rei, qui ex hoc primò quasi fluunt, ita ut positò hoc primò, illi quoque ponantur, sicut positò animali rationali, statim inde sequitur illud esse risibile. Hujusmodi conceptus dicuntur secundarii, attributa, proprietates in quartò modò. Sunt autem hæc attributa duplicis generis, quædam constant ex duobus conceptibus mediante particulâ disjunctivâ, ut cum dico: *Ens esse vel contingens vel necessarium*, ubi ad unum attributum duo pertinent conceptus, nempe contingentis & necessarii, qui mediante particulâ disjunctivâ unum attributum constituunt; & hæc attributa dicuntur disjunctiva. Quædam verò attributa unum tantum involvunt conceptum, ut cum dico: *Ens esse unum*, hæc dicuntur simplicia.

TABULA III. DE ACTU.

Cum ad naturam, Entis requiratur, ut ACTU sit, idcirco statim post doctrinam de Ente, agere debemus de ACTU. Non potest autem ACTUS in genere definiri, quia vox ACTUS valdè ambigua est, ut unus conceptus ei non respondeat, idcirco statim ad Distinctiones ejus procedamus. (α)

I. EST vel (ε)

ACTUS ABSOLUTE dicitur, qui est substantia quælibet immaterialis completa, ut DEUS & cujusque Angeli substantia. Est quidem & anima rationalis substantia immaterialis, sed incompleta, adeoque in numerum actuum absolutè dictorum non venit.

ACTUS RELATIVE sumtus est id, quò aliqua res (si non quæ potentiam activam habet, tamen subjectum vel objectum ejus) IN SE non ita est, quemadmodum dicimus potentiam, e. gr. Calor est Actus relativè talis, quia per calorem res np. aqua aliter se habet, quàm se antea habebat, cum non esset actu, sed potentiam calida. Sic creatio est actus, quò creatura aliter se habet, quemadmodum potentiam esse dicebatur.

II. EST (?)
vel

ACTUS PURUS, qui excludit potentiam passivam, ut solus DEUS, qui nullum actum recipere potest, adeoque neque pati potest, neque est in potentiam objectivâ. Dixi passivam, non autem activam; cum enim τὸ agere per se non includat imperfectionem, quemadmodum pati eam, includit; non est, cur activam quoque potentiam actui puro denegeamus.

ACTUS NON-PURUS est, qui non immunis est ab omni passione, quomodo cujusque Angeli substantia actus non purus est. Habere enim Angelos potentiam passivam, inde patet, quod actus intelligendi & volendi in seipsis producant, sive ita producant, ut etiam recipiant. Quia & lapsorum status idem satis apertè docet: Sic & anime rationales sunt actus non-puri.

(B)

III. EST

A